

tu Venerabilis Frater, ultro collaturus sis studium operamque tuam, ut ea expleantur cumulate.—Confidimus insuper, per hoc temporarium ac peculiare subsidium, quod fideles conferent ad inhumani commercii labem abolendam et sustentandos evangelii nuncios in locis ubi illud viget, nihil imminutum iri de liberalitate qua Catholicas missiones adjuvare solent collata stipe in Institutum quod Lugduni conditum a *propagatione fidei* nomen accepit. Salutare hoc opus, quod fidelium studiis pridem commendavimus, hac nunc opportunitate oblata novo ornamus laudis testimonio, optantes ut late porrigat beneficentiam suam et lacta floreat prosperitate. Interim Tibi, Venerabilis Frater, Clero et fidelibus pastoralis vigilantiae tuae commissis, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xx Novembris anno MDCCCXC, Pontificatus Nostri decimo tertio.

LEO PP. XIII.